

Christi, non agnoscebant nisi illum qui in caelo erat. Quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, preponebant illi Deum; quando autem dicebat: Proclucite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabatur. Distinguebant Dominum aeternum a domino temporali, et tamen subditi erant propter Dominum aeternum etiam domino temporali. »

2. NEMINEM BLASPHEMARE. — id est, nemini maledicere, aut mala imprecari, neminem conviciari. Hoc enim est *blasphemare*. Sic I Corinth. iv, 13, dicitur, *blasphemamur*, id est maledicimur, et obsecramus. Alioqui Latinis blasphemia proprie convicium est, quod in Deum et Sanctos evomitur. Vetat Apostolus ut nemini etiam privato, sed maxime ne ulli principum aut magistratum maledicant Christiani, ut multi faciunt cum ab eis vetricibus aliisque oneribus gravantur sive iuste, sive iniuste; jubetque ut tam imperata, quam imperantes patienter ferant. Ita Paulus fecit, et hoc suum dogma suo exemplo sancivit Actor. xxiii, 3, ubi iussus ab Anania pontifice iniquo cecidi: « Percutiet te, inquit, Deus, paries dealbate. » Cumque astantes dicerent: « Summum sacerdotem Dei maledicis? » respondit: « Nesciebam, fratres, quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices. »

NON LITIGIOSUS. — *ἀντιμαχικός*, id est non pugnans non tam verberibus, quam verbis, ne scilicet vberigerent, et in lites ac rixas prona sint adversus superiores et magistratus, et etiam quosvis alios. Sensim enim Apostolus se et sua sensa dilatat ad omnes. Unde subdit: « Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. »

3. ERAMUS ENIM ET NOS ALIQUANDO INSIPIENTES, INCREDULI, ERRANTES. — Vox enim dat causam cur Christiani debeant esse mansueti ad omnes, etiam Ethnicos incredulos, perversos et scelestos, tam magistratus, quam privatos quosque. Estque hic tacita occupatio, q. d. Dicetis mihi, o Christiani, Ethnicos esse impios et scelestos, vobisque esse duos, molestos et intolerabiles: quomodo ergo cum his lites vitare et mansueti esse poterimus? Respondet Apostolus, id pacem et mansuetudinem Christianorum non retardare, sed potius accendere debere: illos enim tam miseros omni compassione esse dignos; oportere Christianos cogitare illa esse vitia gentilitii et ignorantia Dei, se quoque tales fuisse cum inter eos gentiliter viverent: proinde agnoscant discrimen et disparitatem vitia presentis Christianae, et prioris quam egerunt in paganismo; admirentur Dei gratiam sibi praestitam, pro eaque gratias agant, ac misereantur eorum qui adhuc in tenebris et salebris gentilitii degunt; ferant eorum passiones et vitia, Deumque orant, ut et ipsi ad Christum Christianamque modestiam, mansuetudinem et sanctitatem secum aliquando convertantur (1).

(1) Plinius, amicum juniorem moens, de filium suum

Adverit S. Hieronymus vocem nos, q. d. Ego Paulus quoque ante conversionem vixi incredulus in iudaismo, secutus sum carnis concupiscentias, nec eas cohibere valui, utpote gratia Christi destitutus; sed ea imbutus post conversionem factus sum vas electionis et virtutum.

Nota: Pro *insipientes* graece est *ἀνοήτοι*, quod S. Hieronymus, *stulti*; S. Ambrosius, *inconsulti*, vertit.

Secundo, pro *increduli* graece est *ἀπίστοι*, id est impersuasibiles. Potest secundo cum Hieronymo verti, *inobedientes*, et cum Cypriano, *contumaces*.

Tertio, *malitia* idem est quod improbitas, perversitas, nequitia et nocendi cupidio. Inde enim homines mali vocantur perversi, qui alios verbis et factis laesunt, omnibusque sunt molesti et maligni. Ita Theophylactus. « Per peccatum, inquit Prosper, lib. De Gratia Dei, contra Collatorem, perdidit homo boni scientiam: iustitiam enim iniquitas depulit, humilitatem superbia destruxit, continentiam concupiscentia elisit, infidelitas rapuit fidem, captivitas abstulit libertatem, nec potuit illic ulla portio residere virtutum, ubi tanta irrupit turba vitiorum. »

4. CUM AUTEM BENIGNITAS ET HUMANITAS APPARUIT SALVATORIS NOSTRI DEI, NON EX OPERIBUS JUSTITIAE QUAE FECIMUS NOS. — Pro *benignitas* graece est *εὐσπλαγχνία*, id est bonitas, benevolentia et beneficentia.

« Humanitas » non est idem quod humane naturae assumptio, ut explicat D. Thomas. Nam graece est *φιλανθρωπία*, id est singularis ille Dei Patris erga homines amor, studium et dilectio, et, ut S. Hieronymus vertit, clemencia: qua scilicet Deus Pater, quasi salvator, volens nos ad salutem perducere, Filium suum salvatorem nobis dedit, fratrem hominemque nobis congenerem, qui assumpta humana natura, baptismum merito et pretio sanguinis sui instituit, quo nos a pristinis vitiis et concupiscentiis ablueret et salvaret; itaque novos homines efficeret, ut ex insipientibus fieremus sapientes, ex incredulis credentes, servientes non carnis, sed spiritus desideris.

Eleganter et pie S. Bernardus, serm. 1 in festo Nativit. Domini: « Apparuerat, ait, ante potentiam in rerum creatione, apparebat sapientia in earum gubernatione; sed benignitas misericordiae nunc maxime apparuit in humanitate. » Et mox: « Appareat, Domine, bonitas, cui possit homo (qui ad imaginem tuam creatus est) conformari: nam maiestatem, potestatem, sapientiam nec imitari possumus, nec expedit emulari. Quousque angustata est misericordia tua in sola angelorum parte, reliquam occupat iudicium cum toto humano genere? Dilatet misericordia terminos suos, extendat funes, expandat sinus, attingat a fine usque ad finem fortiter, disponens omnia suaviter. »

nimis rigide tractaret: « Cogita illum, inquit, potius esse, et te fuisse. »

Nota: In hac philanthropia, sive singulari illo Dei amore in nos multa sunt admiranda.

Primo, quod ab aeterno nos amavit ille qui est Deus, id est, qui est summa maiestas et felicitas, qui in se omne bonum habet, ita ut nobis, alia re non indigeat.

Secundo, quod non necessario nos amet, uti necessario amat Filium et Spiritum Sanctum, sed plane libere et liberaliter.

Tertio, quod nos amet sine sua utilitate aut commodo proprio. Nam, ut ait Cyrillus, lib. I Theauri, cap. vi, superflua est Deo productio creaturarum, quantum ad Dei perfectionem attinet. Hoc enim erat Deus antequam nos creati essemus, quod nunc etiam est: nihil et altitimus a nihilo ad esse producti, et si ad nihilum redirentur, nihil ei detraheremus.

Quarto, quia Deus hominem amat in quo nulla praecessit ratio, nullum meritum, nulla dignitas, ob quam diligendus esset, sed potius demerita multa et magna, ob quae omni odio erat dignus. « Commendat, inquit Paulus ad Rom. v, 8, Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. »

Quinto, quia dilexit eos quos praeservit fore ingratos, imo hostes suos.

Sexto, quia amor hic Dei in homines non ex ignorantia, nec ex passione proficiscitur, uti homines stulte amant saepe amicas suas ex insano amore, vel quia persuadent sibi eas esse gratiosissimas; sed omnis Dei amor cum summa equitate et sapientia conjunctus est.

Dices: Quoniam in Deo est sapientia diligere homines peccatores et miseros? hoc enim obiectum in se non est diligibile.

Respondeo: Ratio amandi in Deo non petitur ab obiecto diligibili, uti fit apud homines, sed ab ipso Deo. Deus enim diligit nos propter se, quia summe bonus est, adeoque bonitate abundat, ut bonitatem et liberalitatem suam in nos omni dilectione indignos effundere velit. Infinita ergo Dei bonitas radix est et ratio amandi homines, eisque se et sua bona communicandi. Hunc amorem mire inculcat S. Joannes cum ait, cap. iii, vers. 16: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non percat, sed habeat vitam aeternam. »

Ubi nota singula verba habere emphasis, et emphaticae exaggerare amorem Dei. Primo enim ait, « sic, » id est tanta amoris vehementia, conatu, excessu. Secundo, non rex, non Caesar, non angelus, sed « Deus. » Tertio, « dilexit, » scilicet prior et gratis, sine merito; imo sine desiderio nostro. Quarto, « mundum » sibi contrarium, hostem et vnum damnationis. Quinto, « ut » non hominem, non angelum, non mundum alterum, sed « Filium, » non alienum, non adoptivum, sed « suum, » proprium ac naturalem, eumque non unum e multis, sed « unigenitum » et unicum.

Secundo, non venderet pretio, non mutaret, sed gratis « daret, » non ad regnum et triumphos, sed ad mortem et crucem. Septimo, id fecit non sibi, non Christo fructum aliquem quaerens, sed ut ipse nos, id est creator creaturas suas, sua morte vivificaret, sua humilitate exaltaret, sua inanimitione, aeterna gloria, opibus et bonis immensis cumularet.

SALVATORIS NOSTRI DEI. — Nota: *Salvator* hic vocatur Deus Pater; hunc enim distinguit a Salvatore quem subdit vers. 6, dicens: « Per Jesum Christum Salvatorem nostrum. » Unde S. Hieronymus docet hic notari SS. Trinitatem: tertia enim persona Spiritus Sancti nominatur, cum dicit: « Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti salvos nos fecit. » Loquitur de salute inchoata, quae est ipsa justificatio, qua a peccatis et reatu mortis et inferni liberamur et salvamur, tendimusque ad plenam et completam salutem, quam in caelo omnibus armis, concupiscentiis et peccandi periculis liberati adipiscimur. Ita S. Augustinus, lib. III Contra duas Epist. Pelagian., cap. III.

3. NON EX OPERIBUS JUSTITIAE (id est non merito operum iustorum, cum nulla talia praecesserint fidem et iustitiam), SED SECUNDUM (id est propter, vide Can. 25) SUAM MISERICORDIAM, — id est gratis, ex mera Dei misericordia.

PER LAVACRUM REGENERATIONIS. — Assertit hic Apostolus nos salutem iam dictam consequi in baptismo: baptismus enim est lavacrum regenerationis, quod scilicet regeneramur et renascimur in Christo.

ET RENOVATIONIS SPIRITUS SANCTI, — quod scilicet per gratiam Spiritus Sancti renovamur, et novi homines, puta sancti, iusti, Dei amici et filii efficiamur. Unde Tertullianus, lib. De Resurrectione carnis, vim baptismi explicans: « Caro, inquit, abluatur ut anima emaculetur, caro tangatur ut anima consecratur, caro saginatur ut anima muniat, caro manus impositione adumbratur ut anima spiritu illuminetur, caro corpore et sanguine Christi vescitur ut anima deo Eucharia recens baptizatis gustanda dabantur, ut alibi dixi, et baptizato statim impendebatur sacramentum Confirmationis per manus impositionem, ut inquit hic Tertullianus.

Nota hic emphasis: baptismus enim dicitur renovatio, graece *ἀναγενεσις*, id est iterata generatio, quia quasi de novo secundum carnem genitus, regenerat secundum spiritum et virtutes. Unde merito exclamat hic Theophylactus: « O rem arduam, inquit, et admirabilem! Adeo vitia eramus immersi, ut nulla ratione purgari possemus, sed opus fuit regeneratione; nam regeneratio et renovatio secundum naturam novamque formationem significant. Ut enim domum ruinisam et plane veterem non sufficimus, verum ad fundamenta usque diruimus ac demolimur, ut

vamque ædificamus : consimilem ad rationem Deus non reconcinnavit quod corruptum erat saciendo, sed d'auo condidit. Quomodo? per Spiritum Sanctum: ac enim quæras modum, Spiritus, inquit, totum aransegit. Unde hoc perspicuum? quem effudit, inquit, abunde in nos: nos enim tantummodo per hunc refinxit nos, sed large ipsam etiam nobis impertit, ut et illud per hoc monstraret. Ac merito: postquam enim mundavit nos, tum et Spiritu suo Sancto abunde nos implevit; hoc est quod ait: Effudit, in impuros mundos ille purusque Spiritus non ingrediebatur. »

Rursum D. Thomas hic: « Homo, inquit, in statu perditionis duobus indigebat, scilicet participatione divinitatis et depositione vetustatis. Christus utrumque præstitit nobis: prius, dum nos per suam gratiam effecit divine consortes nature; posterior, dum per baptismum nos in novam creaturam regeneravit. » Et rursum: « In justificatione, inquit D. Thomas, impii duo sunt termini: a quo, culpæ remissio, et hæc est renovatio; ad quem, gratiæ infusio, et hæc est regeneratio. » Verum hoc non satis solidum videtur: nam scilicet regeneratio, ita et renovatio suum habet terminum, tam ad quem, quam a quo: novitas enim gratiæ et vite est terminus ad quem renovationis. D. Thomas ergo accommodatiæ tantum loquitur, et per renovationem præcise intelligit vetustatis depositionem: vult enim distinguere in justificatione, terminum a quo, a termino ad quem; et sicut hunc assignat regenerationi, ita illum attribuit renovationi.

Denique nota, hanc renovationem a peccatis plena, sed a vitis et concupiscentiis inchoate tantum fieri in baptismo, in qua quotidie proficiendum est, mortificando scilicet concupiscentias, ut ab eis plenam sanitatem et renovationem consequamur in celo. Ita S. Augustinus, lib. iiij. De Trinit., cap. xvi.

6. QUAM (scilicet Spiritum Sanctum, id est Spiritum Sancti gratiam et dona) EFFUDIT IN NOS ABUNDE PER JESUM CHRISTUM SALVATOREM NOSTRUM, 7. UT JUSTIFICATI GRATIA IESUS, HEREDES SIMUS SECUNDUM SPEM VITÆ ÆTERNÆ. — Nota: Non dicit, dedit, sed « effudit, » idque non paræ, sed « abunde, » græce *ἀπολύτως*, id est opulenter, ait Hieronymus, large, copiose; idque hoc fine, ut « justificati, » id est a peccatis expurgati et iustitia donati; non nostro merito, sed a gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitæ æternæ, » id est heredes nos fore speramus in celo vitæ æternæ.

Nota: Sicut filius qui scriptus est heres a patre, patris est heres, non re ipsa, sed tantum secundum spem suam et secundum destinationem patris, qua fiet ut, mortuo patre, re ipsa futurus sit patris heres: ita in baptismo dum justificamur, desinamur et scribimur heredes vite æternæ, sed tantum secundum spem nostram et destinationem dei. Nam re ipsa heredes erimus post mortem, » nimirum in iustitia accepta, que

nobis ad vitam æternam dat jus, perseveremus et moriamur.

8. FIDELIS SERMO EST; ET DE HIS VOLO TE CONFIRMARE: UT CURENT BONIS OPERIBUS PRÆESSE QUI CREDUNT DEO, — q. d. Ea que dixi de Dei in nos benignitate et humanitate, de renovatione, de salute, de spe vitæ æternæ, non sunt fabulosa, non incerta, non dubia, ut Iudeorum et Philosophorum doctrinæ et spes; sed fidelia, id est certa et indubitata (ut dixi I Timoth. cap. i, vers. 15); ac proinde volo, ut de his tu confirmes non tam te ipsum (utpote qui in his satis firmus es) quam alios, ut vertit Syrus, ut scilicet ipsi hac fide et spe excitati et confirmati, curent bonis operibus præesse. Ita S. Chrysostomus et S. Hieronymus.

Unde nota primo: Pro confirmare græce est *ἀσθενοῦμαι*, quod clarius et aptius veritas, affirmare, asseverare, asserere et predicare, ut rem certam et indubitam; vult enim Apostolus ut Titus hæc aliis affirmet et proponat tanquam certissima et verissima, ut iis incitentur ad bona opera.

Nota secundo: Pro ut curent bonis operibus præesse, græce est *ἐπιπροσέχων κατὰ τὴν ἐπιμέλειαν*, quod Ambrosius vertit, ut solliciti sint ad affectum bonorum operum; Beza vero, ut student bona opera tueri. Nam non potest, inquit, verti præesse; sic enim in græco dicendum esset in dative κατὰ τὴν ἐπιμέλειαν, jam autem in genitivo dicitur κατὰ τὴν ἐπιμέλειαν. Sed respondeo cum Hieronymo et Badaeo, imo Vatablo et Erasmo, *ἐπιπροσέχων* proprie significat præesse, regilique genitivum: hunc enim poscit præpositio *πρὸς*. Nam hinc *ἐπιπροσέχων* τὰ ἔργα vocatur præfector operis. Vult ergo Apostolus Christianos ita studere et incumbere bonis operibus, præsertim eleemosynæ et beneficentiæ, ut iis quasi duces et præfeci præsent, perinde ut in castris quis dicitur præesse annonæ, frumento tormentis. Sicut enim hujus est curare ne quid iis in rebus desit, ita Christianorum est curare ne quid alicui desit, ut pauperum petitionem non expectent, sed requirant, et sua eleemosyna præveniant. Ita Theophylactus. Quomodo Cato, teste Plutarcho, dicere solebat, « præclaras actiones occupandas, » id est, ambiendas et accersendas esse, ut semper benefacta priora posterioribus cumuloemus. Sicut enim homines vani et mundani ambiunt honores, magistratus et præfecturas, de hisque certant, ut eos aliis præcipiant: ita Christiani certare debent de bonis operibus, ut in eleemosynis, omnibus præeant easque aliis præcipiant. Unde Chrysostomus explicans quid sit bonis operibus præesse: « hoc est, inquit, oppressis injuria opem ferre, non pecuniis tantum, sed etiam exhortatione salubrique doctrina; viduis illum ac pupillis auxilium ferre, omnibusque qui in afflictione aut angustia sunt prospicere, miserationis affectu. »

Ad hoc divitibus stimulum suggerit idem Chrysostomus: hic in morali *homil.* 6, nimirum ut co-

Caritate, doctus Christianus.

Deus in hunc locum castigatione in castigatione.

Quid præesse bonis operibus significet.

gentibusque persuadent, eos qui dant eleemosynam sibi a pauperibus recipere, quam eis dent, puta plus bonarum precum et orationum, plus virtutis, plus meriti, plus gratiæ, plus mercedis tam presentis quam æternæ: atque hæc de causa Christus cum posset sibi aliis modis prospicere de victo, a Magdalena tamen aliisque piis mulieribus ali voluit, scilicet non ut acciperet, sed ut conferret eis beneficium. Additque Chrysostomus: « Beneficentia, inquit, Deo similes facit. Hæc est charitatis mater, proprium Christianæ virtutis insigne, per quam discipuli Christi noscuntur: hæc nostrorum scelerum est medicina, hæc animæ nostræ sordes emundat, hæc scala, que in cælum usque porrigitur, hæc Christi connectit corpus, omniaque Christi membra complectitur. »

Aliqui sic exponunt, curent que creant, id est Christiani, ut bonis operibus præsent, id est present et præcellant infidelibus, iisque palmam, non in gloria aut opibus, sed in studio honorum operum præcipiant: Græcum enim *ἐπιπροσέχων* idem est, quod stare ante, id est prestare aliis, sive primum esse quod alicui sequantur, non autem qui alios sequatur. Verum sic græce dicendum potius fuisse κατὰ τὴν ἐπιμέλειαν, quam κατὰ τὴν ἐπιμέλειαν, id est infidelibus.

9. STULTAS AUTEM QUESTIONES, ET GENERALIOLAS, ET CONTENTIONES, ET PUGNAS LEGIS DEVITÆ. — « Generaliolas » intelligit Iudeorum et Judaizantium, qui a puero ita hisce student, ut ab exordio Adam, usque ad Zorobabel omnium generationes ita meritorie velociter percurrant, ut eos suum putes nomen referre, inquit Hieronymus (1). Rursum, « pugnas legis » intelligit fuitiles questiones et rixas, que circa legem moventur, ut quoto anno Salomon dixerit uxorem, an antio undecimo genuerit Roboam, et his similia, inquit Hieronymus.

Ver. 10 et 11. HERETICUM HOMINEM POST UNAM ET SECUNDAM CORREPTIONEM DEVITÆ, SCIENS QUIA SUBVER- SUS EST QUI EJUSMODI EST, ET DELINQUIT, CUM SIT PROPRIO JUDICIO CONDEMNATUS. — Pro correptionem

græce est *ὀρθοῦμαι*, id est, ut Hieronymus vertit, ammonitionem, que scilicet leniter fit, docendo et monendo suaviter absque graviore increpatione. Loquitur enim Apostolus de heretico non perlinat et formato, sed eo, qui ex ignorantia aut mala instructione errat, et sectam errantium sequitur; vel de quo dubium est, sine pertinax, necne. Hic enim corripi et instrui debet, primo lenius, secundo durius et fortius; quod si sic monitus nonclemnit, ostenditque se pertinacem, vitandus est, et non corripendus: correptionis enim nullus erit fructus. Imo talis si corripatur, magis resistit, fitque obstinatus, inquit Ambrosius, quia « talis, » ut subdit Apostolus, « subversus

est, » græce *ἐστρατεύεται*, id est, eversus est, scilicet fide, spe et bonis omnibus, utpote plane in heresi et sua obstinatione perversus et immerus. Unde Tertullianus, lib. De Præscript., cap. xvi. docet, in hereticis non habere locum præceptum Domini, *Matth.* xviii, de ordine in correptione servando. Hinc etiam idem Tertullianus et Ambrosius ita hic legunt, *hereticum hominem post primam correptionem devitæ*; et sic, inquit Erasmus, hereticos, si post primam correptionem relabantur, non devitamus, sed incendimus. Verum passim Latina, Græca et Syra legunt, *hereticum hominem post unam et secundam correptionem devitæ*. Loquitur enim Apostolus de heretico non pertinacis, sed errante, ut dixi.

Nota primo: Pro devitæ græce est *ἀπαρτία*, id est, rejice, aversare, refula.

Suggillat hic more suo mordaciter Erasmus theologos, quod ex hoc Apostoli loco probent hereticos esse puniendos et plectendos, putantes scilicet devitæ idem esse quod de vita tolle, sicuti decapitæ idem est quod caput illi deme. Nec hoc sarcasmo contentus, similem, sed acriorem non tam ignorantiam, quam injustitiam impingit Inreconsultis, dum subdit: « Sic Iureconsulti furem suspendunt, quod lex latrone plecti capite jubet, et Galli furem vocant latronem (*larron*); sic medici insulsi vocabolorum subinde venenum dant pro remedio. » Erras, Erasme, non hæc Jurisconsultorum Gallorum fuit stoliditas, sed Principum et magistratum justa lex et sanctio, qua ubique fures cruci, ut latrones rotis, adjudicant. Multo minus Theologorum inscitia, sed Regum et Imperatorum decreta, hereticos ad rogam condemnant. Quis, oro, Interpretum vel Patrum Latinorum tam vecors, tam insulsi fuit, ut « devitæ » diceret idem esse quod « tolle de vita? » Fuerit aliquis matreologus, qui ita, ut ais, vel joco, vel serio explicarit: cui concilio, regi, vel principi idipsum ad penam hanc hoc nomine hereticis irrogandam persuasit? Sunt alii Scripturæ certæ et claræ, que hereticos puniendos doceant, que vide, si lubet, apud Bellarminum. Præclare Tertullianus, *Scorpia* cap. ii: « Ad officium, inquit, hereticos compelli, non illi dignum est. Duritia vincenda est, non suadenda. »

Nota secundo: « Delinquit, » græce *ἀπεκρίθη*, id est, errat, vel delinquit et peccat, supple sciens, prudens et obstinatus in sua heresi, malitia et delicto. Heresis ergo antonomastice hic vocatur delictum, peccatum et scelus.

Nota tertio: « Cum sit proprio judicio condemnatus, » græce *ἐκ δικαιοσύνης*, id est, cum sit per se, et, ut legit Cyprianus, a *senectipso condemnatus*, quia scilicet sponte et pertinaciter se ab omnibus fidelibus, et a tota Ecclesia separat, extra quam non est salus, sed certa damnatio. Ita Hieronymus, Anselmus et alii. Unde sanctus Maximus, *serm.* 50, apte comparat hereticum Judæ, qui non a Christo ejectus, sed sponte sua ab Apostolorum

Erasmus indocta impostor.

Quam hereticus plectendus?

Hereticus quantum peccatus?

Hereticus Juda similia.

(1) « Generaliolas, » id est, ait Allio, questiones circa varios ordines, hierarchiam et generationes angelorum.

collegio se separavit, dum vellet proderi Christum: « Tali, inquit, hereticus, quali et Judas poena damnatur, ut idem sui et reus sit sceleris, et iudex et ultionis, quia Dominum quem Judas vendidit hereticus blasphematur. » Rursum, ut Vatablus ait, cum hereticus iudicet aeterna damnatione esse dignos eos qui veritati et fidei resistunt, hoc ipso seipsum condemnat, utpote qui et veritati et fidei totius Ecclesiae resistat.

Tertio, alii sic explicant, hereticus nimis credit suo iudicio: in hoc enim consistit haeresis peccatum: sui ergo iudicii praesentia peccat hereticus, ac consequenter eodem se condemnat, sed est, condemnationis reum, illique obnoxium ne facit. Sed hoc est praeter mentem Apostoli (1).

12. *CON MISERO AD TE ARTEMIAN, AUT TYCHICUM*, — ut scilicet tui absentiam Creta suppleant, et pro te Cretenses instruant et pascant.

PESTINA AD ME VENIRE NICOPOLIM. — Chrysostomus Nicopolim Thraciae intelligit; S. Hieronymus vero melius Nicopolim Epiri accipit. Dicta est *Nicopolis*, id est, urbs victoriae, ab Augusto, qui ibi, scilicet juxta Actium Epiri promontorium, Antonium et Cleopatram navali bello devicit.

13. *ZENAE LEGISPERITUM ET APOLLO SOLICITE VREMITTE, UT NIHIL ILLIS DESIT*. — Hos ad se mitti jubet Apostolus, ut in predicatione Evangelii eos habeat socios et adjuutores. Apollo enim erat eloquens et potens in Scripturis, *Actor. xviii, 24*. Zenas vero non fuit juris Casarei peritus, sed legis, puta Mosaicae doctor, ideoque magna auctoritatis et opinionis. Unde jam conversus ad Christum poterat ex lege et Prophetis revincere Judaeos, docereque Jesum esse Messiam. Hos

(1) Rosenmullerus vers. 14 et graeco sic vertit: Intelliges enim, talem totum se immatasse, et peccare illa, ut se ipse condemnet.

ergo Tito committit, ut eos ad se distinet, ac sollicitate curet, ne quid in viatico aliiisque in rebus ad iter opportunis illis desit.

14. *DISCANT AUTEM ET NOSTRI BONIS OPERIBUS PRAESES, AD USUS NECESSARIOS*. — Repetit hanc sententiam Apostolus occasione viatici, quod jussit dari Zenae et Apollo: estque occupatio, *q. d.* Dices mihi, o Tito, te pauperem esse, nec posse eis providere de omnibus necessariis ad iter. Respondeo, adi nostros fideles, doce illos charitatem hanc in Dei ministros et Apostolos exercere, ut discant ipsi non tantum per doctrinam, sed etiam per experientiam et praxim, bonis operibus et eleemosynis tam necessariis, tam dignis et sanctis praesse, et in suos magistros esse liberales et munifici. Ita Hieronymus, Theodoretus et alii. Idem S. Joannes, *epist. 3*, commendat Caio: « Charissime, inquit, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos, etc., quos benefaciens deduces digne Deo: pro nomine enim ejus profecti sunt. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis. » Hinc inter primos Christianos aeternum et magnum fuit jus hospitalitatis: adeo ut Peregrinus impostor (teste Luciano in ejus Vita) haec de causa se Christianum et predicatorem esse finxerit, quia sciebat in Christianorum hospitalitate satis se habere viatici, ita ut non tantum ab illis aleretur, sed etiam in via deduceretur, atque sic (ut ait Lucianus) quaquaersum stipatus incederet. De hospitalitate haec plura dicam *ad Hebraeos, xiii, 2*.

Concede, Domine, nos praesse bonis operibus, ut modicum hoc vitae spatium fructuose transigamus, ut haeredes fiamus secundum spem vitae aeternae.

ETERNAE cogitans temporalem omnem laborem et dolorem, aequo se voluptatem despicit.

Commenda-
tor liberalitas
in opera-
ris
Evangelica.

COMMENTARIUS

IN EPISTOLAM

AD PHILEMONEM.

ARGUMENTUM.

Philemon, non Judaeus, sed Gentilis, civis erat Colossensis, inter suos nobilis, vita ac moribus aequae ac fidei et professione Christiana conspicuus; cuius domum Colossis ad sua tempora integram permansisse tradit Theodoretus hic: utpote quae tempore Pauli cepit esse ecclesia, ut in ea Paulus ageret synaxes fidelium, ideoque in ea habitaret Archippus, Colossensium Episcopus, ut satis insinuat Paulus vers. 2. Hinc haec domus jam Deo in ecclesiam dicata permansit in multa saecula. Rursum fideles in domum Philemonis convenire soliti ejusdem fovebantur auxilio: erat enim ipse eleemosynis addictus, et Sanctorum necessitatibus succurrebat. Hoc enim est quod ait Apostolus vers. 7: « Viscera sanctorum per te requieverunt, frater. » Hic ergo Philemon habuit servum nomine Onesimum, qui non tam S. Pauli studio, ut volunt aliqui, quam ob furtum, compilatis scilicet quibusdam heri sui rebus, ut ex vers. 18 colligit S. Hieronymus, Theodoretus et Theophylactus, Colossis Romam transfugerat, ubi in Paulum incidit, qui eum ad Christum convertit, instituit et baptizavit, et jam fidelem tam Christo quam hero suo effectum cum hac epistola commendatitia ad herum, Philemonem scilicet, remittit, qua rogat illum, ut eum in gratiam recipiat. Scripsit hanc Epistolam Paulus Romae e vinculis prioribus anno Christi 60 (1), cum jam speraret se breviis liberandum, ut patet vers. 22; misit eandem cum Epistola ad Colossenses, per ipsum Onesimum.

Notant S. Chrysostomus et Theophylactus, hanc Epistolam in tanta brevitate et simplicitate, plura perutilia continere documenta. Inter quae *primum* est, nulli homini, ac ne servo quidem fugitivo, aditum ad gratiam et vitam aeternam esse praclusum, neque de ullius, quantumvis duri, fraudulenti et parvuli, salute esse desperandum: talis enim erat Onesimus, utpote servus, fur, Phryx. Phryges enim illiberali servilitate erant

indole. Unde apud eos ingens erat mancipiorum proventus, ut in proverbium abiit, teste Cicerone, orat. *pro Placco*, Phrygem plagis meliorem fieri.

Secundum est, etiam vilium hominum, servorum et prostigorum Christianis curam esse habendam.

Tertium, pietatis pretextu servos non esse avellendos a dominis. Unde hic Paulus servum Onesimum domino Philemoni remittit.

Quartum, servos prestantes virtute non esse contemnendos, sed amandos et promovendos. Hic enim Onesimus penitens facti, in gratiam cum hero suo Philemone rediit, factusque est vir et doctor egregius, atque post Timotheum creatus est secundus Episcopus Ephesi: quem valde laudat S. Ignatius, *epist. ad Ephesios*. Unde et hic idem Onesimus postea Romae sub Trajano martyrio consummatus et laureatus est.

Discite hic Christiani, discite Pastores, pauperes, servos et ancillas non negligere, sed singularem curam eis impendere: sunt enim ipsi oves vestrae, atque animas tam nobiles habent quam divites, eodemque pretio sanguinis Christi redemptas. Unde a vobis easdem reposeat Deus in die iudicii. Nam propter eas e caelo descendit Christus, cujus hoc est elogium ab Isaia predictum et celebratum: « Pauperes evangelizantur. » Tales Deus eligit: sunt enim ipsi magis humiles, doctiles, ductiles, ideoque gratiae et salutis capaciores quam divites. « Nonne Deus, inquit S. Jacobus, cap. ii, 3, elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et haeredes regni, quod reprobis Deus diligentibus se (2)? »

(2) De eloquio et leporibus hujus Epistolae haec apposite Erasmus: « Quid festivius dici poterat vel ab ipso Tulio in ejusmodi argumento? Nisi quod quidam nomine duntaxat Christiani, animo infestissimi Christo, nihil eruditum putant, nihil elegans, nisi quod idem sit ethnicum, et universum florem simul perisse existimant, si quid de Christo fuerit admittum, quod illius sapient doctrinam, cum ea sit prima eloquentiae pars, sermonem rebus accommodasse. » Cf. *Biblie de Venise, tom. XVI, p. 178 sqq.*

(1) Ann. 67, juxta Sepp, quem cf. op. cit., tom. II, pag. 367.

1. Paulus victus Christi Jesu, et Timotheus frater: Philemon dilectio et adiutori nostro, 2. et Appia sorori charissimae, et Archippo commilitoni nostro, et Ecclesiae quae in domo tua est. 3. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. 4. Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, 5. audiens charitatem tuam, et fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos: 6. ut communicatio fidei tuae evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Jesu. 7. Gaudium enim magnum habui, et consolationem in charitate tua: quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater. 8. Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet: 9. propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et victus Jesu Christi: 10. obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, 11. qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi, et tibi utilis, 12. quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe: 13. quem ego volueram tecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii; 14. sine consilio autem tuo nihil velui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. 15. Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut aeternum illum reciperes, 16. jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maxime mihi; quanto autem magis tibi et in carne, et in Domino? 17. Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me. 18. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet: hoc mihi imputa. 19. Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod et te ipsum mihi debes. 20. Ita frater, ego te fruor in Domino: refice viscera mea in Domino. 21. Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam et super id, quod dico, facies. 22. Simul autem et para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis. 23. Salutem et Epaphras concepitivus meus in Christo Jesu, 24. Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas, adiutores mei. 25. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

4. PAULUS VICTUS CHRISTI JESU, ET TIMOTHEUS FRATER: PHILEMONI DILECTO, ET ADIUTORI NOSTRO, 2. ET APPIAE SORORI CHARISSIMAE, ET ARCHIPPO COMMILITONI NOSTRO, ET ECCLESIAE, QUAE IN DOMO TUA EST. — Vide quot titulis et nominibus pulset hic Apostolus mentem Philemonis, ut Onesimum in gratiam recipiat.

Quoties motiva, quibus Paulus Philemonem cum in dicit ad Onesimo.

Primo, ego « victus Christi, » inquit, hoc a te poseo; da ergo hoc solatium et gaudium mihi victo, imo da hoc Christo, pro quo ego victus sum, factusque quasi servus similis servo tuo Onesimo.

Secundo, idem poscit « Timotheus frater » tam tuus, quam meus, in Christo, id est Christianus.

Tertio, tu es mihi « dilectus et adiutor; » da hoc ergo dilectioni nostrae. Rursum, soles non tantum quosvis miseros et pauperes, sed etiam me tuus opibus et opera in Evangelio adjuvare; jura ergo et suscipe hunc visillum servum tuum per me conversum.

Quarto, salutando Appiam et Archippum, tacite eosdem, inquit Theophylactus, deprecatores secum pro Onesimo adsciscit, tanta erat charitas et sollicitudo Apostoli, ut unum hominem fugitivum domino suo reconciliaret.

Nota secundo: Haec Appia uxor erat Philemonis, ut docet Chrysostomus, Theodoretus, Theo-

phylactus. Hanc « sororem » suam vocat, scilicet in Christo. Omnes enim Christiani in symbolum eximiae charitatis mutuae, omnes viros Christianos vocabant fratres, omnes feminas sorores, tanquam ex eodem patre, scilicet Christo; et matre, scilicet Ecclesia, genitos et genitas.

Nota tertio: Hic Archippus Episcopus et praedicator erat Colossensium, inquit Ambrosius et Hieronymus; unde eum hic Paulus vocat commilitonem suum, et ad Coloss. 19. 17. de eo scribit: « Dicitur Archippo: Vide ministerium, quod accepisti a Domino, ut illud impleas. » Licet Primasius velit Archippum tantum fuisse diaconum, Epaphras vero fuisse Episcopum Colossensium: de quo vers. 23. Videtur autem hic Archippus habitasse Colossis, in domo Philemonis. Haec enim de causa eum cum Philemone salutavit; hinc etiam addit salutem etiam « et Ecclesiae (id est congregationi fidelium) quae in domo tua est, » scilicet, o Philemon (ad eum scribit, eumque alloquitur, non autem Archippum), utpote in qua multi sunt fideles, cum in ea habitet Archippus Episcopus, ideoque ad eam quasi communem Episcopi et fidelium ecclesiam Christiani sacrorum causa conveniant.

4. GRATIAS AGO DEO MEO, SEMPER MEMORIAM TUI FACIENS IN ORATIONIBUS MEIS, 5. AUDIENS CHARITATEM TUAM, ET FIDEM, QUAM HABES IN DOMINO JESU, ET

IN OMNES SANCTOS. — Graece non est *tu*, sed *ei*, id est *in*, vel *erga* Dominum Jesum et omnes sanctos. Ita Chrysostomus et Ambrosius.

Nota: Fidem quam habemus in Dominum Jesum, eandem habemus et in omnes Sanctos: sicut enim credimus Jesum esse Messiam et Salvatorem, caputque Ecclesiae Dei, ita pariter credimus Sanctos Jesu veros esse sanctos, veramque Dei Ecclesiam; et amando ac adherendo Sanctis, amamus ac adheremus Christo, ac consequenter beneficiendo Sanctis, beneficiamus Christo. Apostolus enim loquitur de fide non nuda et interna, sed de ea, quae per opera sese exerit et communicat, ut mox ipse subiungit.

Hinc sequitur, eum qui honorat et invocat Sanctos, nihil detrachere Christo, imo hoc ipso honorare et invocare Christum. Unde Exod. 14. 31, dicitur: « Crediderunt Domino, et Mosi servo ejus. » Hoc autem, inquit Hieronymus, non solum in Mose, sed in omnibus Sanctis ejus est, ut quicumque credit Deo, aliter ejus fidem recipere nequeat, nisi credat et in Sanctis ejus: non enim est in Deum perfecta dilectio et fides, quae in ministris ejus odio et infidelitate tenuatur.

6. UT COMMUNICATIO FIDEI Tuae EVIDENS FIAT, IN AGNITIONE OMNIS OPERIS BONI, QUOD EST IN VOBIS IN CHRISTO JESU. — Communicationem fidei vocat fidei communionem; sive quod tu, o Philemon, nobiscum in fide communices, habeasque communem et eandem nobiscum fidem, aequae ad spem.

Secundo et plenius, communicationem fidei vocat elemosynas et officia charitatis in Sanctos, ex fide viva et ardenti manantia.

Nota primo: Haec verba referenda esse ad superiora, scilicet ad illa, « semper memoriam tui faciens in orationibus meis, » q. d. Oro instanter et assidue pro te, ut communicationem hanc bonorum operum, ad quam fides te incitat, ostendere et perficere pergas; ut liberalitas tua nunquam cesset, sed potius, ut quaecumque potes effundas in agentes, maxime Christianos. Ita Theophylactus.

Nota secundo: Pro evidens, graece legit noster Interpres *εvidης*: per *a*; jam cum Hieronymo, Chrysostomo, Theophylacto per *ε* legunt *εvidης*, id est, effluax, operatrix, et operibus florens, scilicet fiat fides et communicatio fidei tuae. Adverte, Apostolum posere fidem non otiosam et nudam, sed efficacem, quae flores et fructus pariat elemosynae et bonorum operum. Verum melius Noster legit *εvidης*, id est, evidens: sequitur enim, « In agnitione omnis operis boni, » q. d. Ut omnibus evidens fiat fides tua, dum agnoscunt et vident elemosynas et opera tua bona, quae per fidem hanc incitatus operaris, « idque in Christo Jesu, » id est per legem, doctrinam et gratiam Christi Jesu, q. d. Cum sis tante in — meae charitatis, eam in tuum Onesimum quoque ostende, eumque in gratiam recipere. Ita Theophylactus.

Apostolus requirit fidem non otiosam, sed efficacem, quae bona opera.

Aliter Anselmus, « in agnitione, » inquit, id est, ut in cognoscas practice, id est, ames et peragas omne bonum. Sed prior sensus planus et genuinus. Denique vox *operis* non est apud Hieronymum, Chrysostomum, Ambrosium: sicut tamen in Syro et Biblitis Regiis (1).

7. GAUDIUM ENIM MAGNUM HABUI ET CONSOLATIONEM IN CHARITATE TUA, QUIA VISCERA SANCTORUM REQUIEVERUNT PER TE, FRATER. — Nota primo: Pro gaudium graece est *χαρην*, id est gratiam: sed Apostolus *χαρην* accipit pro *γαρην*, id est gaudium, tam hic quam *in Corinth.* 1. 48, ut docent Chrysostomus et Theophylactus, quin et Erasmus, Vatablus et Beza.

Nota secundo: « Requieverunt, » id est, recreata et refocillata sunt. Sicut enim verina innas, fame laetans et exestuans, ita et termina viscerum, ipsaque viscera sedantur et quiescunt, dum impleantur et saturantur.

Nota tertio: Per viscera Vatablus intelligit ventres, quos satiavit Philemon; sed plus significat « viscera, » scilicet tam intimas necessitates, quam consolationem ad intima corporis et animi penetralia pertingentem, ac quasi cor ipsum reficientem et recreantem, q. d. Intima consolatione affecti Sanctos, id est, Christianos, dum eis in summa necessitate, tanta charitate succurristi, o Philemon. Ita Theophylactus. Sic enim e converso Hebraei רחמים *rachaminim*, id est viscera misericordiae, dant eis qui profusi sunt in opera misericordiae, quod videlicet intima aliorum miseria tangantur, et ex intimis visceribus miserationum misereantur, adeoque ex hac miseratione viscera ipsa, quae sedes sunt compassionis et condolentiae, in his commoveri et contorqueri videntur. Viscera ergo misericordiae significant manentem misericordiam. Sic Zacharias canit, Deum nos ex alto visitasse « per viscera misericordiae; » quia cum dedit nobis Christum Filium suum, quasi sua viscera in nos effudit.

Notat S. Hieronymus artificium et rhetoricam Christianam Pauli, qua ita impense in proemio laudat Philemonem, ut ille id, quod postea petetur, negare non audeat, ne suis laudibus videatur indignus.

8. PROPTER QUOD MULTAM FIDUCIAM (magis obsecro, id est libertatem) HABENS IN CHRISTO JESU (per Christum Jesum) IMPERANDI TIBI QUOD AD REM PERTINET, — et *obsecro*, id est, quod decessis, conveniens et officii tui est, ut scilicet solitam tuam charitatem in servum tuum penitentem ostendas.

9. (Tamen) PROPTER CHARITATEM MAGIS OBSECO, CUM SIS TALIS, UT PAULUS SENEX, NUNC AUTEM ET VICTUS JESU CHRISTI, — q. d. Cum mihi quasi patri spiritali tuo liberum sit propter Christum

(1) Rosenmüllerus graecum sic verit: Optans, ut fides, quam nobiscum habes communem, magis magisque se manifestet (per opera bona), tuque cognoscas magnitudinem beneficiorum quae debemus Christo.

Quid intelligatur per illud, Viscera sanctorum requieverunt?

Hebraei misericordias dant viscera misericordiae.